

stingui minimè posset, nec minùs aperta contradic̄tio foret tempus sine initio, aut æternitas initium habens, ac tempus, quod finem habere nequit, aut æternitas aliquando desituta. Quod enim Neo-Evangelistæ, æternum, ceu vocant, Evangelium Diabolis atque damnatis hominibus annunciantes, de æternitate damnationis aliquando finiendā, ut & illis salutem, quasi post liminio tandem obtinendam, promittant, garriunt, hoc loco non curamus, certi, nec æternitatem finitum iri, nec tempus sine fine duraturum esse. Ne dixeris, cuilibet integrum esse, vocabulis pro libitu significationem imponere, definitio-nesque rerum suis accommodare hypothesisibus. Id enim, sicuti, quoad verba vulgaria & communis usus, in vitâ civili; sic, quantum ad terminos technicos, in Disciplinis & Artibus, permultum maximarum confusionum non parere non posset. Ut enim verba rebus imposita sunt, ut sint signa earum; ita ex prima eorum impositione significare, & ex usu valere debent. Alias enim, BAJERI Comp. Theol. Exeg. Cap. III, §. I. n. (b) verbis utor, omnis certitudo, interpretandi (recte intelligendi) dicta aliorum, tolleretur, si verba ex instituto significantia non essent necessaria accipienda in eo sensu, quem ex instituto non unius hominis, sed communi hominum, significant. Vocabulum temporis autem ex instituto, ut finita hæc duratio ab omni duratione quomodo- cunque infinita distinguatur, & ex usu communi, durationem denotat, non solùm intrinsecam rei durantis successionem, ve- rum etiam ut finis, ita initii quoque non expertem. Quæcum ita sint, non potest dari tempus æternum, adeoque mundus non potuit creari ab æterno.

§. VI.

Quo evicto, necessario concluditur, multò minus mun-dum ab æterno existisse, quandoquidem à potentia ad actum consequentia negativa necessaria est. Et quoniam non ab æter-no semper existit, oportet in tempore, vel ut rectius dicamus, cum tempore cœperit, adeoque productus & à non-esse ad esse